Quelle:
Copyright:



adfluens eruditissimis hominibus diversissima litterarum genera coluit. Horum abbatum opera et studio factum esse accepimus, ut satis magna illa quam supra memoravimus librorum copia colligeretur, qui non solum rebus in iis tractatis magni sunt pretii, sed etiam venustate et elegantia, qua scripti sunt, eorum, qui scripserunt, monachorum industriam et assiduitatem certissime testantur (cf. Keiblinger, l. c. I. 501). Atque hi abbates, ut bibliothecae incremento inservirent, id egerunt, ut aut quae ex ingeniis eruditorum, inter quos Nicolai de Dinkelspihl, Petri de Rosenheim, Joannis Schlitpacher, vulgo de Weilhaim nomina adtulisse satis habemus, profecta sunt, bibliothecae inserentes aut ex exemplaribus aliunde petitis opera monachorum alia exempla transcribenda curantes librorum copiam augerent. Inter hos monachos, qui praeter caeteros in scribendis libris praeclaram operam navabant, inprimis Joannes de Spira et Martinus Senging nominandi sunt, qui bibliothecam monasterii mirum in modum locupletarunt. Si quando vero accidit, ut ipsorum monachorum vires huic curae ac studio non sufficerent, homines extra monasterii familiam constituti in partem virium arcessebantur, id quod Leonardo auctore factum esse scriptum videmus, qui abbas eruditionis atque antiquitatis studiosissimus Laurentium scribam, ut huic operi inserviret, in monasterio aluit atque pro opera quam praestiterat mercede conducta exornavit. Neque qui Leonardo abbati successit Christianus Eibensteiner de Schirmannsreut (ab anno MCCCCXXXIII—MCCCCLI.) hanc utilem industriam minore cultura firmavit. Qui litterarum mediae aetatis cognitionem ac rationem vel primis labris gustaverit, eum Conradi de Geissenfeld, Wolfgangi de Styra, Thomae de Baden, Wolfgangi de Emerstorf, Laurentii de Gratz, aliorum nomina fugere vix potuerunt, qui, cum ad speciem pulchritudinis, quae mentibus insidebat, manum et artem dirigebant, vel tabellis pictis vel litteris initialibus modo maius-

1433-51